

verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi id quod facit Ecclesia (1). Idque factum est ob quamdam analogiam, quæ intercedit inter partes physici compositi, et partes sacramenta constituentes. Jam vero per materiam sacramenti intelligitur id, quod ante verba a ministro proferenda præexistere concipitur; per formam verba quæ a ministro proferuntur in collatione sacramenti. Ceterum non semper aliquid materiale in ea re, quæ materia nuncupatur, requirendum est.

De forma conditionata ita scripsit Benedictus XIV, lib. VII, de Synodo diocæ., cap. VI. Formam conditionatam a scolasticis esse adinventam, nonnulli viri eruditi existimant, sed eos toto cælo aberrasse ait Martene (*De antiq. Eccl. ritibus, tom. I, lib. I, cap. 1, art. 16, n. 9*): licet porro ante sec. VIII prædictæ conditionatæ formulæ expressam mentionem in conciliis et patribus non inveniamus, non recte tamen inde intulit Natalis Alex. illam non fuisse in usu; quinimo ex antiqua et constanti Ecclesiæ praxi oppositum colligi putamus; quod hæc argumentatione ostendimus. Perpetuum catholicæ fidei dogma fuit, unicum esse baptisma, quod propterea rite collatum sine gravi piaculo iterari posse, semper Ecclesia negavit. At eadem Ecclesia, quæ ita docuit, eos nihilominus, de quibus disputabatur, an essent in Christo regenerati, incunctanter baptizandos præcepit. Jam vero, ne dicamus Ecclesiam incidisse in errorem rebaptizantium, quem toties detestata est, necesse est existimare, non aliter in ea dubietate baptismum conferri voluisse, quam sub tacita et mente concepta conditione, si nondum es baptizatus; hæc autem conditio, quæ prius mente tantum concipiebatur, cæpit, sec. VIII, cum ipsa baptismi forma exprimi et pronuntiari, quam quidem disciplinam Alexander III ubique servandam edixit, eandemque sanctionem confirmavit Joannes XXII (*Apud Raynaldum ad an. 1355, n. 42*). Ita Bened. XIV. Porro illis Rom. Pontificibus accessit Pius VI a quo *Deliberatio synodi (Pistoriensis), quæ prætextu adhesionis ad antiquos canones in casu dubii baptismatis propositum suum declarat de omittenda formæ conditionalis mentione* et est Prop. XXVIII, proscribitur in Constit. Auctorem fidei tanquam temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiæ contraria.

Illam tamen conditio passim ac temere non est adhibenda, sed tunc solum ea uti licet, cum prudens et probabilis subest dubitatio, an quis rite fuerit baptizatus et ordinatus, nec potuit post diligentem præmissam indagacionem rei veritas innotescere (2). Atque hæc quoad sacramenta characterem imprimant. Quoad sacramenta reliqua consulti possunt theologiæ moralis tractatores.

III. Ex dictis circa formam, quæ tacite ac mente conceptam conditionem includebat, quæque obli-

(1) Apud Hard. loc. cit.

(2) Ita rursus Bened. XIV. loc. cit. n. 3. apud quem cf. quando probabilis dubitatio adesse præsumi possit, ita ut licite sub conditione baptisma conferri queat.

nuit septem prioribus Ecclesiæ seculis, non modica lux affulget ad nucleandam controversiam circa objectum intentionis, quæ ad sacramentum faciendum in ministro requiritur. Juxta Ambrosium Catharinum, stat omnino ac valet sacramentum, si minister dumtaxat intendat celebrare ritum illum, quem Ecclesia celebrat, et illum reipsa libere, serio, omnique semoto joco exterius usurpat, materiam adhibens formamque pronuntians in iis maxime circumstantiis, ex quibus determinatur ad agendum tanquam Ecclesiæ minister. Hinc nihil juxta ipsum obest valori sacramenti, si illa intra mentis latebras contrariam intentionem gerat, qua nolit actionem suam esse talem sacramenti actionem qualem Christus instituit (1).

Catharini sententiæ subscribunt plerique Galli theologi, his potissimum rationum momentis permoti, 1. Si sacramenti valor ab interiori ministri intentione penderet, jam pravitas ministri officeret sacramenti valori, secus ac Ecclesia doceat adversus donatistas; 2. s. Augustinus, Innocentius IV et s. Thomas internam intentionem minime requirunt ad valorem sacramenti, ut constat ex eorum testimoniis, suo loco adductis (*Cf. sup.; n. 155 et seq.*). 3. Hæretici ad unitatem redeuntis interrogantur ab Ecclesia de materia et forma, qua susceperunt sacramenta, nihil vero de intentione ministri. Cur? Nisi quia ritum exteriorem satis esse putat. 4. Male animarum bono ac tranquillitati prospexisset Christus, si sacramentorum vim a ministri intentione pendere voluisset. 5. Sacramenta operantur ex opere operato. Itaque sunt ut ignis quem si stupæ admoveas, ut ut vehementer nolis, eam accendit.

Contrariæ sententiæ de necessitate interioris intentionis adstant plerique theologi Itali, ceterarumque nationum, qui his ferme argumentis pugnant. 1. Ministri sacramentorum sunt ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei; ergo eos oportet habere proprie dictam intentionem faciendi illud quod Christus instituit; id vero non præstat qui simulat ministrare, imo positive intendit nolle facere quod Christus instituit. 2. Eugenius IV et concilia exigunt in ministro intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; sed Ecclesia non simulat, sed intendit facere rem sacram. 3. Alexander VIII hanc propositionem quæ est n. XXVIII proscripsit: *Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat: intus vero in cord. suo apud se resolvit: non intendo facere quod facit Ecclesia* (*Cf. Viva op. cit. in hanc prop.*). 4. In rubricis Missalis Romani a Clemente VIII probatis, irrita declaratur consecratio ejus, qui habens coram se undecim hostias intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit, cujus declarationis hæc affertur ratio: *Quia requiritur intentio*

(1) Cf. Ambros. Catharini *De necessaria intentione in perficiendis sacramentis* opera Jac. Hyac. Serry. Patavii 1727. qui postea edidit aliud opus cui tit. fecit: *Prædictæ vindictæ Ambrosii Catharini, ubi utitius adhuc Catharini sententiæ exponit.*

utique interna, ut patet. 5. Ad hæc accedit praxis universæ Ecclesiæ circa formam conditionatam, de qua nuper disserimus, conditione tantum mente concepta, quæ quidem praxis per septem integra secula viguit; cum igitur hæc conditio mente retenta ideo apponeretur, ræ iterum administraretur sacramentum jam rite collatum, patet interiorem intentionem ex sensu Ecclesiæ influere in valorem sacramenti, alioquin perperam apposita fuisset.

Horum ope difficile non est istis theologis sese ab adversariorum extricare argumentis. Hinc reponunt, longe diversam fuisse causam donatistarum, quin permisceri eam liceat cum præsentis controversiæ; illi enim ex pravitate morum inferebant invaliditatem sacramentorum, hic agitur de intentione requisita ad faciendum sacramentum. De vera sancti Augustini mente, nec non Innocentii ac B. Thomæ constat ex iis, quæ disputata sunt adversus novatores. Ideo autem Ecclesia ab hæreticis ad unitatem redeuntibus nihil quaerit de intentione ministri, quia hujus rationem nullam reddere possunt revertentes, atque in ipsis ministris hæreticis fuisse præsumitur, nisi contrarium probetur. Incommoda, quæ urgent, nullius

momenti sunt, cum hæc non minus ab intentionis defectu, quam a vitiata materia vel forma oriri possint. Deus præterea supplere potest per interiores dispositiones in adultis. Cetera ejus providentiæ relinquenda sunt. Argumentum denique ex ignis comparatione deductum supponit quod in questione est positum, num scilicet sacramenta sine intentione administrata velut ignis, an velut glacies spectari debeant.

Ceterum Benedictus XIV, etsi fateatur longe distare sententiam Catharini ab errore Lutheri, affirmat tamen negari haud posse, grave vulnus Catharini opinioni fuisse inflictum ab Alexandro VIII. Hinc sapienter edixit: *Si constet quempiam, aut baptismum contulisse, aut aliud sacramentum ex iis, quæ iterari nequeunt, administrasse, omni adhibito externo ritu, sed intentione retenta, aut cum deliberata voluntate non faciendi, quod facit Ecclesia; urgente quidem necessitate erit sacramentum iterum sub conditione perficiendum. Si tamen res moram patiatur, sedis apostolicæ oraculum erit exquirendum* (1).

(1) De Synodo diocæ. lib. 7. cap. 4. n. 9. ex his constat nihil in praxi valere illorum TT. sententiam, qui negant necessitatem interioris intentionis.

## TRACTATUS DE BAPTISMO.

Baptisma, primum sacramentorum per quod aditus in Christi Ecclesiam patet, variis nominibus in Scriptura et antiquitate donatum est pro diversitate vel actionis, vel effectuum. Interdum enim sacramentum aquæ, vitæ novæ, fidei, illuminationis; interdum nativitas secunda, lavacrum regenerationis et renovationis nuncupatur (1). Definitur autem a catechismo romano sacramentum regenerationis per aquam in verbo (*Part. 2. cap. 2. § 5*). Quatenus est sacramentum, cum reliquis convenit; in genere nempe signi visibilis invisibilis gratiæ; quatenus dicitur regenerationis, exprimit spiritualem nativitatem, quam per ipsum consequimur; quatenus additur per aquam in verbo, denotantur essentielles ejusdem partes, quæ ex materia et forma constituuntur.

Veritatem hujus sacramenti omnes sectarii recentiores, qui saltem adhuc retinent sacramenta, admittunt. Nobis propterea onus non incumbit eam adstruendi. Veteres siquidem hæreses archonticorum, marcosianorum, valentinianorum et quintilianorum, qui rejecerunt baptismum tanquam a deo Sabaoth aut malo principio profluens, jamdiu obsoletæ sunt, quin opus sit eorum delectamentis insectari.

De baptismatis a Christo instituti præstantia litem

(1) Nomina quibus insignitus fuit baptismus in primitiva Ecclesia pluribus prosequitur Bingham *Orig. et antiquit. Ecclesiæ*, vol. IV, lib. XI. toto capite primo.

intentarunt novatores dum voluerunt ipsum conferre cum baptismo Joannis, ut sic ea paria facerent. Hic error confixus est a Tridentino sess. VII. can. 1. *Si quis dixerit, baptismum Joannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, anath. sit.* Verum cum hic error jamdiu a nobis præoccupatus fuerit, sive cum adstruimus sacramenta novæ legis gratiam producere ex opere operato; sive cum ostendimus sacramenta veteris et novæ legis minime esse inter se paria; sive demum cum animadvertimus Tridentinorum patrum definitionem eos ferire, qui ideo paria faciebant hæc omnia sacramenta, ut detraherent vi sacramentorum novæ legis, non autem eos, qui tribuunt aliquam efficaciam sacramentis legis veteris, supervacaneum ducimus, peculiarem instituere disputationem de præstantia baptismi Christi præ baptismo Joannis. Huic siquidem controversiæ satis est eadem aptare principia, ut ejus resolutio habeatur (1).

(1) Patres unanimiter discrimen agnoscunt inter baptismum Joannis et baptismum Christi quoad vim et efficaciam, quorum longum esset catalogum exhibere. Eorum testimonia profert Bellarminus lib. *De baptismo* c. 21. § 12. et seqq. Calvinus ipse non diffidet, patres diversam vim agnovisse in utroque baptismo, sed more suo patrum auctoritatem continet. Scribit enim *Instit. lib. IV. cap. 15. § 7.* «Neminem perturbet, quod alterum ab altero discernere veteres contendunt, quorum non tanti esse nobis debet calculus, ut Scripturæ certitudinem quælibet. Quis enim Chrysostomo potius ausculet, neganti in Joannis baptismo comprehensam fuisse peccatorum remissionem.

Nis itaque omissis, operæ pretium est agere de natura hujus sacramenti, materia nempe et forma, deque ipsius ministro, subjecto, necessitate et effectibus, ea tamen lege, ut quæ aut minus necessaria sunt, aut vix in controversiam veniunt, levi calamo, cetera, quæ nunc maxime agitantur, data opera prosequamur. Aliquot more nostro his adjiciemus scholia ad nonnullorum illustrationem.

## CAPUT I. DE MATERIA BAPTISMI.

Duplex a theologis distinguitur baptismi materia: remota et proxima. Remota est aqua, proxima ablutio. De utraque discernendum. Etenim, dimissis antiquis hæreticis, quorum alii omnino materiam rejecerunt, ut seleuciani et herminiani, manichæi eorumque soboles pauliciani; alii vero baptismum sanguinis aquæ baptismati suffecerunt, ut suffecisse flagellantes perhibentur; recentiores novatores non pauci, duce Luthero, censent, aptam baptismi materiam esse quidquid balnei loco esse potest (1). Sociniani autem alique cum ipsis non aliam aquam ad baptismum admittunt, nisi metaphorice (2).

Quod spectat ad modum administrationis baptismi sive ablutionis, Græci, sæpe sæpius crimini Ecclesiæ romanæ verterunt, quod baptismum per aspersionem, aut infusionem conferat, nec veriti nonnulli ex illis

quam Lucæ contra asserenti? . . . Nec recipienda est illa Augustini argutio, in spe dimissa fuisse peccata baptismi Joannis, Christi baptismi reipsa dimitti. Verum, ut animadvertit Bellarminus, hic non agitur utrum potius Lucæ, quam Chrysostomo, aut Augustino auscultandum sit, sed utrum melius s. Lucam intellexerint s. Joan. Chrysostomus et s. Augustinus, quam Calvium. Si qui Patres visi sunt aliquam efficaciam tribuisse baptismi Joannis: ut s. Basilium, et s. Cyrillum Hierosolymitanum, alique, aut de virtute poenitentiae, ad quam excitabat baptismum Joannis, ii locuti esse dicendi sunt, aut adhibenda responsio Estii, qui in 4. D. 2. § 4. hæc scribit: « Non videtur negandum, quin ea quorundam veterum sententia fuerit, per Joannis baptismum datam fuisse remissionem peccatorum, sed ii omnes tamen baptismum Christi plus aliquid tribuunt, nempe quandam gratiæ excellentiam, quam non tribuunt baptismi Joannis, quomodo et de circumcisione cum baptismi collata dicere liceat. Et fortasse propter hujusmodi quasdam veterum sententias, noluit synodus Tridentina definire, baptismum Joannis nullam adfuisse vim remissionis peccatorum, sed generaliter tantum sub anathemate statuit, ipsum non eandem habuisse vim cum baptismi Christi. Quia in re plane veteres omnes inveniuntur consentire. » Eadem ferme habet Toutteus in Dissert. 5. de doctrina s. Cyrilli Hierosol. cap. 8. n. 60. et seq. ubi eum Cf. erudite etiam de hoc argumento pertractat.

(1) In colloquiis symposiacis cap. 17. apud Bellarm. I. de Bapt. cap. 2. qui et aliorum errores receuset. Incaute tamen secutus est Bernardum Lutemburgensem asserentem, Jacobitas non baptizare in aqua, sed in igne. Ast de hoc postea.

(2) Sociniani hunc errorem hauserunt ex Calvino, qui passim inculcat, aquam in Scripturis, cum sermo est de baptismi, non proprie, sed metaphorice accipiendam esse. Sed ulterius progressi sociniani, baptismum ipsum metaphorice explicandum esse contendunt. Hos secuti sunt methodistæ. Hunc errorem propugnant in Anglia Wilhelmus Dettl et Benjam. Holme; prior in op. *Doctrina baptismatum ab antiquis et recentibus corruptionibus expurgata*; posterior in opusc. *Invitatio seria ad omnes an Spiritum Christi in seipsis agnoscent.*

Quakeri pariter nullam agnoscunt aquæ materialis necessitatem in collatione baptismi, imo omnem prorsus abiciunt exteriorum rituum. Etenim Robertus Barclaius, *Theologia vere christianæ apologia*. Ed. sec. Lond. 1729. pag. 341. « Sicut unus, inquit, est Deus, et una fides, ita et unum baptismum, non quo carnis sordes abiciuntur, sed stipulatio bonæ conscientiae a;ud Deum per resurre-

sunt latinam Ecclesiam incusare, quod verum non habeat baptismum, ideoque rebaptizandos esse, per solam aspersionem aut infusionem ablutos. Duo itaque hic conficere debemus, tum scilicet verum baptismum per aquam tueri, tum Ecclesiæ romanæ doctrinam ei praxim vindicare ab insana Græcorum criminatione.

PROPOSITIO I.—*Aqua vera et naturalis est de necessitate baptismi.*

Est de fide, his verbis proposita a Tridentina synodo, sess. VII. can. 21. *Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa D. N. J. C. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorseri, anathema sit.*

Operosum porro non est hujus fidei articuli veritatem adstruere; adeo enim luculenta sunt Scripturarum constantisque utriusque Ecclesiæ praxis documenta, ut nullum possit de ea superesse dubium. Etenim Christus Joan. III. 5. Nicodemum alloquens ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quibus verbis tum externa corporis per aquam ablutio, tum interna animæ nativitas per Spiritum S. significantur. Sed ceteris omissis, ne in re tam aperta ninij simus, germanum Christi verborum sensum ostendimus ex iis quæ habentur Act. VIII. 36. et seqq. ubi cum Philippus eunuchum reginæ Candacis de fide christiana edocuisset *Venerunt ad quandam aquam: et ait eunuchus: ecce aqua, quid prohibet me baptizari? . . . Et descenderunt uterque in aquam, Philippus et eunuchus, et baptizavit eum.* Ibid. X. 47. Cum repente Spiritus Sanctus descendisset in eos qui Petrum audiebant: *Respondit Petrus: numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos?*

Non alium propterea baptismum agnovit Ecclesia, nisi per aquam administratum, cujus fidei et praxis testes sunt Patres omnes, quoties de baptismi loquuntur. Quare interrogat s. Augustinus: *Quid est baptismus Christi? Lavacrum aquæ in verbo. Tolle aquam, non est baptismus: tolle verbum, non est baptismus* (Tract. 15. in Joan. n. 4). Testes pariter sunt, quotquot supersunt rituales et pontificales libri Latinarum, et euchologia orientalis ecclesiarum, uti erudite ostendit Renaudotius tom. V. Perpetuitatis fidei (Liv. II. ch. IV), ubi defendit Jacobitas ab criminatione de collato ab ipsis baptismi in igne, quod pariter præstitit Jos. Assenianus in Bibliotheca orientali (tom. II. diss. 1. de Monophysitis, § 5).

DIFFICULTATES. I. *Obj.* Perperam Catholicæ exteriorum baptismum adstruunt ex aqua, cum exploratum sit 1. aquæ vocem passim metaphorice usurpari, ut Jo. IV. 45. VII. 37. et seqq., prout et metaphorice Jesu Christi, et hoc baptismum est quid sanctum et spirituale, scilicet baptismum spiritus et ignis, per quod concepti sumus Christo, ut a peccatis abluti et purgati, novam vitam ambulemus. Ex quibus patet in istam sententiam baptismum non esse nisi solam cordis ablutionem, munditiam ab omni inquinamento, ac novæ vitæ principium. Barclaius omnes probationes suas ex Fausto Socino deponit. Cf. Muehler *Symbol.* tom. II. § 68.

rice pariter baptismi nomen suavitur I. Cor. X. 2. Marci X. 38, et alibi 2. Hinc Jo. Baptista Matth. III. 11. *Ego quidem, clamabat, baptizo vos in aqua. . . . Ipse baptizabit vos in Spiritu Sancto et igni.* Quibus verbis baptismum suum cum Christi baptismi contulit, ita ut suum in aqua constitutum esse significaverit, Christi vero baptismum in charitatis igne, qui per virtutes flammescere debet; quod et ipse Christus visus est explicasse dicens Act. I. 5. *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies.* Totus igitur christianorum baptismus in exteriori sanctitate consistit et in interiori Spiritus sancti illustratione, uti 5. docebat Petrus I. Epist. III. 21. *Salvos facit baptismum non carnis depositio sordium, sed conscientia bonæ interrogatio in Deum.* Nec aliter docuit Paulus, qui Hebr. IX. 10. exterius baptismum inter imperfectas recenset Veteris Testamenti caeremonias atque ad Tit. III. 5. 6. scribit; *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos: ubi non aliud lavacrum Apostolus admittit, quam Spiritus sancti effusionem, qui præterea Rom. VI. 4. hoc elogio baptismum nostrum insignivit; Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Porro mors et resurrectio christiani hominis metaphorice tantummodo sunt, itaque metaphoricus esse tantum debet, mysticus scilicet et interior baptismus; quod et Augustinus vidit cum Tract. XI. in Joan. illa Christi verba: *Nisi quis renatus, etc.*, non carnaliter sed spiritualiter esse intelligenda contendit. Ergo.

*Resp. Neg. Ant. ad 1. prob. Dist.* Aquæ et baptismi voces interdum in Scriptura metaphorice usurpantur, C. semper, et in casu nostro, N. Igitur ex subjecta materia, ex collatione cum reliquis textibus parallelis, atque ex sensu traditionali et praxi dignoscitur, juxta exegeseos canones, quando litteraliter, quando metaphorice voces a scriptoribus adhibeantur.

*Ad 2. Dist.* Ad patefaciendam diversam vim et efficaciam inter baptismum suum et baptismum Christi, C. ad excludendam aquam a baptismi Christi, N. Sic enim verba præcursoris, et Christi ipsius universa intellexit antiquitas (1).

*Ad 5. seu sequentes omnes probat. Dist.* Ad commendandos interiores christiani baptismi effectus, C. ad exteriorum ablutionem removendam, N. Nam s. Petrus significat, materialem ablutionem non sufficere, si desint interiores dispositiones (2); s. Paulus

(1) Cf. Bellarm. lib. de Bapt. cap. 21. Recentiores critici in diversas abierunt sententias circa hunc baptismum in Spiritu Sancto et igni: has collegit et expendit doctus P. Cast. Innoc. Ansaldi O. P. in op. *De baptismate in Spiritu s. et igni.* Mediol. 1732. in 4. Ceteris porro sententiis refutatis Ansaldi suam adiecit ac propugnavit, quæ est de donis prodigiis tanquam novi templi ornamentis a Messia proferendis juxta receptam apud Hebræos traditionem. Clem. Biagi ex ord. Camald. in notis quas apposuit in sua versione Dictionarii theol. Bergierii ad vocem *Baptismo*, aliam interpretationem adiecit, ac verba illa et igni contendit significare peccatorum comminationem in incredulos Cf. loc. cit.

(2) Alii paulo aliter hæc Petri verba exponunt, de efficacia nempe baptismi, qui non in depositione carnis sordium consistit, sed in depositione sordium ipsius animi.

PERRONE. II.

in ep. ad Tit. pariter extollit efficaciam baptismi, per quem regenerati ac renovati sumus gratiæ sanctificationis collatione. In epistola ad Rom. alludit ad ritum conferendi baptismum per immersionem, quo ritu significari affirmat spiritualem mortem et resurrectionem, quas baptizatus vi ipsius lavacri consequitur (Cf. *Bernard. a Pic.*). S. Augustinus excludit carnalem Nicodemii interpretationem (1). Colligimus interea ex adversariorum proposita argumentatione, quo homines ducant seposita Ecclesiæ auctoritate, innovandi furor atque libido juxta protestantium principium de spiritu privato.

II. *Obj. et inst.* 1. Nicodemus Joan. III. a Christo redarguitur, quod cum esset magister in Israel, hoc ignoaret; jam vero, si Christus voluisset eum docere, quod aqua materialis vim divinitus habeat animam abluendi, non potuisset Nicodemus non intelligere, cum hic ritus symbolicus usitatissimus esset apud Judæos, imo et apud ipsos ethnicos ad interiorem munditiam significandam (2), ergo voluit rem prorsus novam et inusitatum Christus Nicodemum insinuare, baptismum scilicet spiritualem ac mysticum. 2. Hoc ipsum eruitur ex conjunctione aquæ et Spiritus sancti: certum enim est, nos non baptizari in Spiritu sancto neque ex ipso renasci, nisi sensu spirituali; igitur non nisi spirituali quoque sensu dicimur ex aqua renasci.

*Resp. ad 1. Dist.* Redarguitur Nicodemus a Christo quod de carnali non vero de spirituali regeneratione Christum locutum fuisse existimavit, uti plures et figuræ et vaticinia in V. T. pronuntiata innuebant, C. aliter, N. ut patet ex contextu. Imo hoc ipso, quod ritus ille symbolicus in usu esset apud Hebræos ad significandam interiorem animæ munditiam, facilius debuisset Nicodemus mentem assequi divini præceptoris. Illud vero novum quod intulit Christus auribus Nicodemii, erat vis sanctificationis producendæ, et non solum significandæ, quam Christus eidem patefecit assequendam ex suo baptismate, cujus necessitatem propterea ei inculcavit (3).

*Ad 2. Neg.* Christus enim aquam et Spiritum sanctum conjunxit, ut significaret, materiali atque exteriori aquæ ablutioni adjectam esse interiorem Spiritus sancti gratiam, ad producendam regenerationem de qua loquebatur, cum aqua sola id minime efficere possit, prout semper intellexit Ecclesia.

Cf. Cornelium a Lapide in h. l.

(1) Satis est oculis conjicere in 1. cit. ut ejus mens apertissime dignoscatur, ibi enim tradit Nicodemum intellexisse Christum de generatione carnali, quin opus sit in medium proferre verba ipsius.

(2) Cf. Huetium in Alnetan. Quæstio. lib. II. cap. 20 § 2. Cf. etiam J. A. Danzii diss. *De baptismi Proselytorum judæico, ad illustrandum bapt. Joannis: item ejusdem: Antiquitas baptismi imitationis Israelitarum vindicata*, in Meuschenii *Novo Test. et Tabulæ illustrato* pag. 253-305.

(3) Cf. Maldonat. in h. l. Cf. insuper Christiani Knappii *Commentationem in colloquium Christi cum Nicodemum de natura atque usu disciplinæ suæ*, Joan. III. 1-21. in opere: *Scripta varii argumenti*, tom. I. ed. 2. Halis Saxoniæ. 1825. pag. 181. et seqq. Plura in ea scitu digna reperiuntur, quibus A. ostendit, agi in citatis Christi verbis de vero externo baptismate in aqua, ejusque evincit necessitatem. Non tamen absque defectu hoc opusculum lustrari debet; etenim hinc inde nonnulla in eo habentur quæ rationalissimum sapiunt, prout usuvenit in omnibus fere scriptis protestantium recentiorum.

(Trois.)

III. *Obj.* Saltem non desunt exempla, ex quibus constat, ex necessitatis casu posse in alia materia præter aquam conferri baptisma. 1. Joan. Moschus ac Nicephorus tradunt, Judæum morti proximum defectu aquæ per arenam superinfusam baptizatum esse, et sanitatem inde recuperasse (1). 2. Stephanus II ratum habuit baptisma in vino collatum infanti, qui vita periclitabatur; prout pariter ratum longe ante jam declaraverat ejusmodi baptisma Siricius; 3. et optime quidem, cum interior animi ablutio tam per aquæ, quam per alterius ejuscumque liquoris lavacrum significari possit. Ergo.

*Resp. Neg. Ant. Ad 1. prob. N.* Illud enim baptisma, iisdem ferentibus scriptoribus, invalidum iudicatum est a s. Dionysio antistite, ac propterea denuo collatum in aqua fuit. Quod si Judæus ille sanitatem recuperaverit, id consecutus est ratione fidei, et desiderii baptismi, quo flagrabat.

*Ad 2. Dist.* Cujus tamen responsum tanquam supposititium, aut saltem mendosum a pluribus criticis habetur, C. in hypothese quod sincerum et authenticum esset, *subd.* Excusavit pontifex Stephanus sacerdotis baptizantis ignorantiam, C. approbavit baptisma, N. (2); sic etiam ut supposititium rejicitur decretum Siricii, utpote nullo idoneo testimonio firmatum, illud enim omnium primus protulit Theodorus Cantuariensis in suo Pœnitentiæ; porro Theodorus tribus circiter seculis a Siricio distat. Quamquam dubitant etiam docti viri, utrum hoc Pœnitentiæ Theodori sit.

*Ad 3. Dist.* Si talis præterea fuisset Christi voluntas, a qua id unice pendet, C. secus, Tr. De illa porro constat ex sensu Ecclesiæ traditionali et praxi (3).

(1) Joan Moschus in *Prato spirituali* cap. 176. in Bibl. Patrum De la Bigne t. n. p. 614. Niceph. lib. n. *Hist.* cap. 37. (2) Hoc responsum, quod est num. 11. ac perhibetur datum a Stephano II., vel ut alii contendunt a Stephano III. in Carisiaco villa, Britannico monasterio, ac omnium primus vulgavit Sirmundus tom. n. *Concil. Antiqua Gallie Lutet.* Paris. 1629. p. 16. ita se habet; « Si in vino quis, propterea quod aquam non inveniebat omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei exinde adscribitur culpa. Infantes sic permanent in ipso baptismo. Nam si aqua adfuit præsens, ille presbyter excommunicatur, et pœnitentiæ submitatur, quia contra canonum sententiam agere præsumpsit. »

Circa hoc responsum diversa sunt criticorum judicia 1º alii, ut Natalis Alex. H. Ec. sec. 8. cap. I. ar. 6. putant esse corruptum. 2º Alii, ut Labbaeus, censent verba, quæ ibid. leguntur et difficultatem faciunt: *infantes sic permanent in ipso baptismo* esse glossemam, e margine in textum temere intrusam. At hæc sunt meræ conjecturæ, quæ in nullo codice fundantur, et præterea ex decreto Siricii, in quo eadem pene verba occurrunt, refelluntur. 3º Alii putant hæc responsa non esse data a Stephano Papa, sed a Stephano episcopo Tornacensi, qui sub finem sec. 9. floruit: at hoc etiam sine fundamento, et sine testibus adstruitur. 4º Demum Ant. Jos. Binterim in opere germanico cui tit. fecit: *Præcipua monumenta Ecclesiæ christiano-catholicæ ex primo, medio et novissimo ævo Magnæ.* 1825. tanquam spuriam rejicit totam hanc responsionum collectionem, atque a monachis contendit esse confictam, pluribusque argumentis intrinsicis et extrinsecis in medium adductis admittit id evincere, quæ hic recensere non vacat, et concludit: *Neque Stephanus, neque Siricius baptisma in vino vel in ipso extreme necessitatis casu approbarunt.* Eandem auctorem cf. tom. n. part. 1. § 2. pag. 10. et seqq.

(3) Atque hic juverit specimen exhibere pessimæ fidei qua laborant, aut turpis ignorantia in qua versantur plures protestantes circa doctrinam et praxim Ecclesiæ catholice. Refert enim Hughes in controversiis cum Breckenridge alius cit. *Controv.* VII. pag. 72. se interfuisse in

PROPOSITIO II. — *Vera est de baptismi sacramento doctrina vigens in Ecclesia romana, quæ tenet, illum æque valere sive per immersionem, sive per infusionem aut aspersionem conferatur.*

Hac ratione concepta propositio de fide est, cum ab aliquot seculis in Ecclesia romana conferatur baptisma per infusionem, atque in rituali romano a s. Pio V. edito utraque ratio baptizandi, juxta uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem, sive per immersionem, sive per infusionem, aut etiam per aspersionem probetur, insuper a conc. Trid. editus hic canon III. de baptismo est: *Si quis dixerit, in Ecclesia romana, quæ omnium ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de baptismi sacramento doctrinam, anath. sit.*

Ad hoc porro fidei dogma tuendum, satis est nobis ostendere, modum baptismi conferendi non spectare ad sacramenti essentiam, sive substantiam, sed ad meram disciplinam, quæ propterea Ecclesiæ potestati subest. Id autem facili ratione evincimus. Illud enim ad sacramenti substantiam non pertinet, sine quo sacramentum consistere potest, atque ut tale quovis tempore habitum est; atqui ejusmodi est baptisma sine immersione, sed sola aut infusione aut aspersione administratum. Ergo.

Jam vero licet baptisma sive per unam, sive per trinam immersionem communiter obtinuerit in Ecclesia usque ad s. Thomæ ætatem, qui propterea scribebat: *tutius esse baptizare per modum immersionis, quia hoc habet communior usus* (1); nunquam tamen spectata fuit ejusmodi immersio tanquam essentialis sacramento. Etenim semper exceptiones aliquæ admixtæ sunt; cum Christus præceperit quidem baptizare, non autem modum baptizandi determinaverit.

Id constat 1. ex baptismo clinicorum eorum præsertim, qui morti proximi constituti erant; quibus, ut patet, non alia ratione, quam per infusionem aut aspersionem illud conferri potuit. Isti porro clinici, qui postrema vitæ periodo tincti fuerunt, frequentissimi erant primis Ecclesiæ seculis, ut liquet ex Patrum scriptis; qui declamarunt quidem adversus eos, qui moras neclebant ad suscipiendum baptisma, nunquam tamen dubium moverunt de valore baptismatis, quod fuerit administratum absque immersione (2).

Constat 2. ex pluribus documentis, quæ suppetunt ex antiquitate ac ostendunt baptizandi ritum per infusionem aut aspersionem obtinuisse. Talia sunt acta Lucilli martyris apud Surium (3), necnon

Statibus federatis Americæ cuidam congressui generali, in quo episcopi (protestantes) discutebant questionem, utrum validus sit baptismus collatus a sacerdote catholico. Satis difficilis visa hîs est hæc questio. Hinc quosdam legarunt, ut eam mature perpendere. Qui in conventu frequentiter retulerunt invalidum esse hujusmodi baptisma ob has duas præcipuas rationes: 1. eo quod a catholicis administraretur infantibus baptisma lingua latina (quam profecto infantes non intelligunt). Altera, quia ab ipsis baptizatur in oleo. Risum teneatis, amici!

(1) 3. p. q. 66. a. 7.  
(2) Cf. s. Gregor. Naz. Orat. XL. in sanctum baptismum; s. Greg. Nyss. Orat. adversus eos qui differunt baptismum; s. Basil. Homil. in s. baptismum etc. vol. n. lib. x. cap. 11. s. Basil. Homil. in s. Laurentii pag. 612. ubi legitur, quod cum s. Laurentius catechizasset Lucillum accepta aqua, eaque benedicta « Fudit super caput ejus. »

s. Bacchi junioris apud Combefisium (1), acta s. Gratilliani, necnon acta s. Lindgeri, qui præterea exhortabatur mulieres ut morituros infantulos baptizarent intinctos aqua, vel superinfusos (2) cum invocatione Ss. Trinitatis; ut omittam acta s. Laurentii, qui s. Romanum urceo baptizavit in carcere (3).

Constat 3. ex eo, quod Romæ jam a sec. VI. non raro observatus fuerit ritus baptizandi sine immersione, ut ostendit Mabillonius (in *Museo Italico*. tom. II); sane s. Gregorius M. tum unicum immersionem tum infusionem ad valorem baptismi sufficere declaravit apud conc. Toletanum IV (4).

Constat 4. ex veteribus picturis et sarcophagis, in quibus cernitur baptisma infusione datum, quæ memorant Martenius (*loc. cit.*), et Ciampinius (*Vetera monumenta*, par. 2. tab. 4 et 5).

Constat 5. ex confessione ipsorummet Orientalium, qui docent, deficiente sufficienti aquæ copia, posse administrari baptismum per infusionem, ita Ecbanassal, Echmini canonista Ægyptius, Gregorius Abul-faragius ex auctoritate Jacobi Edesseni apud Renaudotium (*op. cit. lib. II. ch. 4*). Quinimo Græci ipsi, ut refert Goarius oculatus testis, solent recens natos infantulos superinfusione baptizare (5).

Cum igitur ex his aliisque monumentis certissime constet, ritum baptizandi per solam immersionem inviolabiliter in Ecclesia custoditum non esse, adeoque modum abluendi non spectare ad baptismi essentiam, sed debere adnumerari inter ritus disciplinæ, quæ varietati subijcitur, hinc aperte infertur, peperam Græcos Ecclesiæ latinæ succedere, quasi ipsa verum baptismum non retinuerit.

Plures porro eaque gravissimæ causæ Ecclesiam romanam induxerunt ad adoptandum ritum infusionis: ac primo quidem ob usum, qui paulatim inductus est ex majori facilitate collationis hujus baptismi, quique adeo invaluit, ut rituales libri editi sub finem sec. XIV. jam præscriperint baptismum infusionem conferendum (*Cf. AA. cit.*). 2. Ut tenella ætati infantili prospiceretur cui immersio nocere potest, atque ut averteretur periculum ne infantes manibus ministri delapsi in profundum baptisterii suffocarentur, quod non semel contigit, neve aquæ fontis baptismalis fœderentur, quod malo omine habebatur, ut in ablutione Constantini Copronymi observatum est (6); et sic non absque gravi labore renovanda aqua esset, quæ satis proluxa benedictione consecratur. 3. Ut consuleretur pudicitia mulierum post abo-

(1) In *op. Christi martyrum lecta trias*. Paris. 1668. pag. 85. et seq. ubi hic baptismum administrandi ritus veluti passim receptus exhibetur. Cf. ejusdem Combefisii notam n. 6.

(2) Apud Martenium *de antiquis eccl. ritib.* lib. I. cap. 1. art. 14. ubi plura alia exempla invenies.

(3) Apud Surium *loc. cit.* pag. 614. idipsum testantur adhuc antiquæ imagines quæ in ejus Ecclesia asservantur, et urceus ille qui adhuc ibi extat.

(4) Cf. card. de Aquirre *Collectio maxima conc. Hisp.* tom. n. in not. n. 106. in cap. 6. ejusd. conc.

(5) Cf. exxoxoiox sive *lituale Græcorum* vol. I. fol. Lut. Paris. 1647. in baptismatis officium n. (24) pag. 563. et seq.

(6) Cf. Theophrasti *Chromographum* edit. Combefisii. Paris. 1655. ad an. 711. pag. 563.

litum diaconissarum ministerium (1). Ad tollenda incommoda, quæ in regionibus septentrionalibus præsertim habentur, in collatione baptismi per immersionem argenti aquis. Cæterum in nonnullis adhuc latinis Ecclesiis baptisma per trinam immersionem confertur, ut e. g. in Mediolanensi.

*DIFFICULTATES. Obj. 1.* Paulus asserit Rom. VI. 4. nos consepultos esse cum Christo per baptismum, enjus sepulturam triduanam, inquit s. Leo M., imitatur trina demersio (2). 2. Patres præterea docent immersionis ritum oriri ex traditione apostolorum, et Christi præcepto. 3. Pœnæ proinde statuta fuerant contra eos, qui semel immergebant. 4. Atque hujusmodi ablutionem, apud Eunomianos usitatam, Patres concilii Constantinopolitani I. irritam declaraverunt (3); prout postea pariter eandem irritam pronuntiavit esse apud Bonosiacos Gregorius II. 5. Cornelius item pontifex perinde ac Magnus dubitarunt de baptismate per infusionem dato. Ergo.

*Resp. ad 1. Dist.* Per baptismum quavis ratione collatum, C. sola immersione, *subd.* Expressiori significatione, C. substantiali, N. et hoc sensu exponi debent verba s. Leonis M. qui alludit, quemadmodum etiam apostolus, ad ritum, qui tunc temporis obtinebat.

*Ad 2. Dist.* Patres docent immersionis ritum ex traditione descendere apostolica, ac ecclesiastica et disciplinari, C. divina et dogmatica, ideoque nulli mutationi ac varietati obnoxia, N. alioquin baptismum clinicorum non probassent.

Sic etiam docuerunt profluere hunc ritum ex præcepto Christi; D. Late sumpto, quale nempe profluere censetur ex baptismo ab ipso in Jordane per immersionem suscepto, C. stricte sumpto ac riguroso, N. Alias nunquam passi essent aliquam fieri exceptionem; non omnia autem quæ Christus gessit, vim præcepti obtinent, ut ex aliis multis constat.

*Ad 3. Dist.* Pœnæ statuta sunt, eo quod tales recederent a recepta tunc temporis disciplina, quod privato homini, seposito necessitatis casu, non licet, C. eo quod invalidum censeretur ejusmodi baptisma, N. Et hinc responsio patet ad ea, quæ etiam opponi solent ex can. IV. apostolico, quo depositionis pœna infligitur episcopis et presbyteris, qui vel ex negligentia vel ex contemptu recedebant ab ecclesiastico more conferendi baptismum per trinam immersionem (*Cf. Guill. Bevereg. loc. cit.*)

*Ad 4. Dist.* Eo quod præterea peccarent Eunomiani circa formam, C. ob unicum præcise immersionem vel N. vel *subd.* utpote illicitam pro ea ætate, ac propter hæreticum principium eunomianorum, ex quo profluere hæc illorum ablutio, C. utpote invalidum,

(1) Qua ratione olim mulierum pudicitie consultum esset dum baptizarentur cf. Martenium, Vicecomitem, Binghamum II. cit.

(2) Epist. XVIII. ad universos episcopos per Sicil. constitutos. Cap. 5. edit. Ballerin.

(3) Horum omnium Patrum et concilium auctoritates collectas invenies in nota Guillelmi Beveregii ad can. L. Apostolic. de quo infra; apud Cotelerium *Patrum Apostolic.* t. I. p. 468.

N. Cum enim eunomiani ac bonosiaci perverse de Trinitate crederent, corrupta propter ea ab iis est baptismi forma, hinc tincti iterum ab Ecclesia sunt qui fuerant ab his hæreticis baptizati.

Ad 5. *Dist.* Dubitavit Cornelius de baptismi effectu propter malam Novatiani dispositionem, C. de substantia baptismi, N. prout jam notaverat eruditus Valesius (in lib. VI. II. Ec. Eusebii cap. 43); quod pariter de omnibus in lecto decumbentibus, et baptismum efflagitantibus ob metum mortis imminenti, dubitandum esse generatim observavit synodus neocæsariensis (1); atque ob hanc prudentem suspicionem factum est, ut irregulares haberentur in mortis articulo baptizati. Quod si Magnus dubitavit de valore baptismi per infusionem collati, ejus dubium excussit s. Cyprianus (2), imo omne dubium sustulit Ecclesia universa, quæ semper ejusmodi baptismi ratum habuit, ut constat ex dictis (Cf. s. Th. 3 p. q. 56. a. 7).

## CAPUT II. DE BAPTISMI FORMA.

Evangelicam baptismi formam vitaverunt gnostici, valentiniani, montanistæ aliqui, sabelliani, priscillianistæ, alique, de quibus hæresiographi late disserunt (Cf. Bingham. lib. XI. cap. 3). Zwingliani, calvinistæ, sociniani, formam quidem catholicæ Ecclesiæ retinent, ita tamen, ut eam minime necessariam censeant, cum ex eorum systemate baptismi virtus, perinde ac aliorum sacramentorum, ex sola fide pendeat (3). Ex catholicis haud pauci theologii atque scriptores ecclesiastici recensentur, qui putent, ab apostolis ex quadam dispensatione administratum fuisse baptismum in nomine Jesu tantum; imo ejusmodi ablutionem ratam habuisse nonnullos patres; nec desunt qui valuisse ejusmodi baptismum collatum in uno Christi nomine quovis tempore arbitrentur (Cf. Bellarm. loc. cit. n. 8). Controversia prior, quæ dogmatica est, non debet permisseri cum posteriori questione, quæ est tantum critica. Hanc propterea rejicientes ad scholia, quæ inferius adjicimus, illam in præsentia solum expendimus.

PROPOSITIO. — Vera est de sacramento baptismi doctrina in Ecclesia romana, quæ tenet baptizandum esse sub distincta invocatione trium divinarum personarum.

59. Est de fide, ut constat ex adducto in sup. pro-

(1) Can. XII. cujus hæc verba sunt: « Si quis ægrotans fuerit baptizatus, non potest in presbyterum evehi. Fides enim ejus non est ex instituto, sed ex necessitate. Nisi forte propter consequens ejus studium et fidem, hominumque raritatem. » Cf. in hunc canon. Beveregii annotationem. Vid. etiam circa hoc clinicorum baptismum s. Joan. Chrysostomum Hom. IX. ad Catechum.

(2) Epist. LXXVI. Ubi non solum ejusmodi baptismum plenum ac legitimum esse censet, sed præterea clinicos nihil inferiores esse ait iis, qui sani baptismum in Ecclesia susceperunt; hoc ipsum confirmat auctoritate Scripturarum. Haud ignoro a nonnullis tum hanc, tum alias epistolas s. Cypriani, inter spuria aut saltem dubia ejus scripta rejici; at perperam, ut suo loco ostendimus. Interim cf. in eandem ep. notas Stephani Baluzii.

(3) Sane Lutherus his omnibus prævit scribens in lib. de Captiv. Babylon. de baptismo: « Baptismum esse ratum quibuscumque verbis collatum, modo non in nomine hominis sed in nomine Domini detur. » Cf. Bellarm. lib. de Bapt. cap. 3. n. 7.

pos. can. III. conc. Tridentini, collato cum can. IV. quem inferius proferemus, in quo sub anathematis telo idem concilium ratum ac verum esse decernit baptismum datum ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Forma igitur præscripta ab Ecclesia romana est: *Ego te baptizo in nomine Patris, etc.* Ab ea quoad substantiam non differt forma, quæ in usu est in Ecclesia græca: *Baptizatur (βαπτίζεται) servus Dei in nomine, etc.* (1). Eadem viget in ceteris Ecclesiis orientalibus. Dum propterea defendimus formam, quæ obtinet in Ecclesia romana, adstruimus pariter baptismi formam Ecclesiæ universalis.

Veram porro esse Ecclesiæ romanæ doctrinam relate ad memoratam formam patet 1. ex Christi verbis Matth. ult.: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

Patet 2. Ex unanimi Patrum consensu, qui docent, nullum esse baptismum, quod non constiterit invocatione trium personarum divinarum. Tertullianus lib. de Baptismo: *Lex tingendi, scribit, imposita est, et forma præscripta. Ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus s.* (Cap. 15. edit. Rigalt.); s. Cyprianus. ep. LXXIII. ad Jubai. *Quando ipse Christus, inquit, baptizari jubet in plena et adunata Trinitate* (2). S. Ambrosius lib. de Mysteriis: *Nisi baptizatus fuerit (catechumenus) in nomine Patris, et Filii, et Spiritus s., remissionem non potest accipere peccatorum* (3); s. Basilius lib. de Spiritu s. *Sicut enim credimus in Patrem et Filium et Spiritum s., sic et baptizamur in nomine Patris, etc.* (4). Et hi pauci ex multis sufficiant (5).

Patet 3. Ex perpetua constantique utriusque Ecclesiæ orientalis et occidentalis praxi, de qua non solum constat ex synodis Arrelatensi I. et Nicæna I. sed præterea ex multiplici argumento, quod ex eadem praxi patres eruerunt ad confundendos sabellianos, arianos, macedonianos, eunomianos aliosque Trinitatis osores. Id ipsum conficitur ex omnibus utriusque Ecclesiæ euchologiis et ritualibus libris, alii que monumentis allatis a Martenio ac Renaudotio. Ergo.

DIFFICULTATES. *Obj.* I. Si verba Christi: *Baptizantes in nomine, etc.* inducunt necessitatem ea proferendi in collatione baptismi, etiam alia verba: *Euntes docete, induxerunt necessitatem proferendi inter docendum: Ego vos doceo; quod nemo dicet.* 2. Adde illud in nomine, solum significare in virtute et fide; hinc 3. cum divinarum hypostascon una sit sub-

(1) Non autem, ut nonnulli scribunt, βαπτίζω βαπτίζω. Cf. Goarium op. cit. pag. 353. et seqq. ubi plura affert officia Græcorum S. baptismatis; nec non Arcudium in Concordia Ecclesiæ orientalis et occidentalis. Cap. 8. Græcis orientales Ecclesiæ reliquis assentiri in baptismi forma ostendit Renaudotius *perpétuité de la foi*, tom. v. lib. II. ch. 5.

(2) Edit. Maur. in quem locum cf. not. Maurin. edit.

(3) Cap. 4.

(4) Cap. 12. ὡς γὰρ πιστεύομεν εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, οὕτως καὶ βαπτίζομεθα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, κ. τ. λ. Atque hic animadvertendum, s. Basilium data opera refellere eos, qui contendebant valere baptismum collatum in nomine solius Christi.

(5) Reliqua testimonia Cf. apud Pamelium annot. I. in lib. Tertulliani de Baptismo.

stantia, ac per circuminsessionem una persona in altera sit, perinde erit, sive in unius, sive in trium distincte personarum nomine baptismum conferatur aut etiam in nomine Trinitatis, ut nonnullis placuit (1). 4. Imo omnis omittitur forma in illa collatione baptismi, quæ a s. Ambrosio, seu auctore librorum de Sacramentis lib. II. c. VII. describitur; prout omittitur in libro Gelasiano ex codicibus Thomasi et Colbertino (2). Ergo.

Resp. ad 1. *Neg.* In factis enim attendi debet ad voluntatem institutoris: porro voluntas Christi patefacta est ex praxi Ecclesiæ, quæ ita intellexit verba Christi, ut ea sola exprimerentur, quibus ipsa utitur in administratione, alia vero non item. Idque merito, quia docendi actio satis ipsa per se innotescit absque additamento *Ego te loceo*; actio autem tingendi, cum per se indifferens sit ad plura denotanda, coactari debuit ad actionem sacramentalem per invocationem ss. Trinitatis.

Ad 2. *Neg.* Illud in nomine solum significare virtutem et fidem; significat enim præterea invocationem et appellationem trium divinarum personarum quæ gratiam largiuntur et sanctificationem efficiunt.

Ad 3. *Resp.* Esto, quod unaquæque trium divinarum personarum, ratione identitatis naturæ aut circuminsessionis, in altera sit; cum tamen Christus formam præscripserit in invocatione trium distincte personarum, atque Ecclesia ita in praxim deduxerit, non absque gravi piaculo, ac periculo saltem nullitatis sacramenti, alia quævis forma adhiberetur. Diversæ formæ a nonnullis scholasticis excogitatae, quamvis quoad sensum videantur convenire cum forma a Christo præscripta et ab Ecclesia usurpata, nulla ratione in praxi admitti possunt (3).

Ad 4. *Neg.* Etenim s. Ambrosius, seu auctor librorum de Sacramentis, prout observant maurini editores, enumerat interrogationes mersiones que non quo ordine, sed qua mente, quamve ad rem exhibendam fierent. Præmittantur enim olim interrogationes, iisque absolutis inchoabantur mersiones cum apposita forma, ut patet tum ex omnibus liturgicis libris, tum ex eodem ipso auctore qui nobis opponitur. Hic enim ibid. lib. II. cap. V. n. 14. jam dixerat: *Cælestia verba, quæ Christi sunt, quod baptizemus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus s.; et cap. VII. n. 22. In uno autem nomine baptizari non jussit (Christus), hoc est, in nomine Patris, etc.* (4).

(1) Inter quos recensetur Cajetanus in 3. P. S. Th. q. 66. a. 5. ubi etiam alias formas proponit et discutit.

(2) Cf. apud Muratorium in op. *Liturgia Romana vetus*. Venet. 1748. tom. I. col. 570. et 596.

(3) Inani prorsus labore nonnulli scholastici diversas baptismi formas excogitarunt, ut deinceps inquirerent num validum, an vero invalidum censeudum sit baptismum tali forma administratum. Etenim absque gravi piaculo nemini fas est a recepta in Ecclesia forma recedere. Quod si id fiat, saltem sub conditione baptismum esset iterandum. In his enim, ex quibus pendet æterna salus, tutior omnino via teneri debet.

(4) Cf. in objectum locum annotationem edit. maur. Perperam Chardon in *Histoire des Sacraments* liv. 1. Sect. 1. Part. 2. Ch. 5. contendit adversus laudatos editores,

Eadem responsio aptari debet ad id, quod objicitur ex silentio libri Gelasiani, cum eadem sit ratio; eo magis quod in eodem sacramentario Gelasiano juxta codices regium et noviomensem hæc reperitur forma pro baptismo infirmorum: *Baptizo te ill. in nomine Patris, et Filii, et Spiritus s. ut habeas vitam æternam* (1).

Atque hic obiter animadvertendum est, ejusmodi additiones: *Ut habeas vitam æternam*; vel, ut addunt Græci: *Baptizatur servus Dei in nomine Patris amen, et Filii amen, et Spiritus s. amen. Nunc et semper et in sæcula sæculorum amen*; non attingere substantiam, ideoque non officere sacramenti valori.

## CAPUT III. DE MINISTRO BAPTISMI.

Duplex questio institui potest circa baptismi ministrum, ad validam, scilicet, et ad licitam hujus sacramenti administrationem. Ad ejus valorem non requiri in ministro fidem ac probitatem, suo loco ostendimus (2). Num vero præterea ad baptismum rite ac valide administrandum determinata ministrorum requiratur conditio, anceps videtur calvinianorum sententia. Interdum enim videntur baptismum a laicis, feminis præsertim, administratum, tanquam invalidum rejicere, interdum vero tantum ut illicitum illud videntur respuere, quamvis in casu necessitatis ab illis conferretur. Quidquid porro de istorum hæreticorum mente sentiendum sit, nostrum erit ostendere, posse in necessitatis casu a quocumque baptismum conferri, ita ut rite ac licite haberi debeat.

Et hæc quidem cum urget, ut diximus, necessitas; extra hanc enim nequit baptismus licite conferri, nisi a proprio ejus ministro, qui potest esse *ordinarius* aut *extraordinarius*.

Quæ, ut planius intelligantur, ratio habenda est triplici hujus sacramenti administrationi, quæ distinguitur in *solemnem, publicam, et privatam*. Solemnis censetur ea, quæ in solemnitatibus paschatis et pentecostes olim præcipue obtinebat (3); publica ea dicitur ipsa s. Ambrosium nullam baptismi formam necessariam cit. loc. agnovisse. Hoc enim perinde est, ac velle in meridiana luce cæcutire. Atque hic quidem animadverto, hunc auctorem eruditum se exhibere, sed interdum etiam nimis liberum esse, et novitates aucupantem.

(1) Cf. apud Marten. loc. cit. art. 18. *Ordo V.*

(2) Tract. de Sacram. in genere n. 125. et seqq.

(3) Duos hos dies Paschatis et Pentecostes, a primis Ecclesiæ seculis baptismum solemniter conferendo consecratos fuisse, Tertullianus lib. de Baptismo cap. 19. disertis his verbis testatur: « Diem baptismum solemniter Pascha præstat. . . Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est. » Qui mos ut illæsus servaretur, cum summi Pontifices Siricius, Leo, Gelasius etc., tum concilia quamplurima operam dederunt; neque tamen efficere potuerunt, quominus identidem violaretur, ac baptismus per diversas regiones in præcipuis festivitatibus solemniter conferretur. De natali Domini luculentum est s. Gregorii M. testimonium lib. vii. ep. 50. Indict. I. ad Eulogium scribens: « In solemnitate autem Dominicæ nativitatis, quæ hæc I. Indictione transacta est, plusquam decem milia Angli ab eodem nuntiati sunt fratre et coepiscopo nostro (Augustino) baptizati. » Eodem die Clodoveum Francorum regem regeneratum esse memorat Avitus Viennensis episcopus in epistola ad ipsamet regem. Eumque morem in Galliis usu receptum esse liquet ex Gregorio Turon. lib. de Gloria confess. cap. 69. et 76. necnon lib. viii. Hist. Francorum cap. 9. idem et de natali S. Joan. Baptistæ die censeudum esse persuadet hic postremus Gregorii Turo-